



# DE CHRISTO.

## THESIS I.

**N**ivat, solius veritatis amore, & ejus promovenda studio, breviter considerare, qua PAULUS STEINIUS, Concionator Anglicus Cassellanus, denuò in lucem edidit, de fraternitate inter LUTHERANOS & CALVINIANOS constituenda firmandaq;: ut, quid de ejus postulatione habendum sit, omnibus constare queat.

2. Capite primo ostendit, non sibi propositum esse, de- CAP. I.  
cidere questionem, Nos, an Ipsi (CALVINIANI) rectè credamus & doceamus de Controversiis, de PERSONA CHRISTI, de COENADOMINICA, & de ELECTIONE FILIORUM DEI AD VITAM ÆTERNAM. p. 2. Sed illud intendere, ut, sepositis cōtroversiis illis, una pars alterã patienter ferat, neq; inhumani- ter criminetur & damnet, sed fraternè amplectatur & juvet, propter Consensum in cæteris Christianæ Religionis Capitibus, in quibus fundamentum salutis consistit, p. 3. 4.

3. Resp. Beati pacifici. Amamus & Nos pacem, & colimus, & sectamur: Sed pacem veram, in CHRISTO & ipsius doctrina fundatam. Pacem autem contra veritatem, quæ & contra DEUM est, detestamur, quia veritatem & DEUM diligimus. Spirituales igitur fratres, nisi in CHRISTO, & cum ipso, & per ipsum, in ipsius doctrina, nullos agnoscimus. Interim diligimus omnes homines, & in primis Christianos, & benè eis cupimus, studentes eos in veritate informare, & pro eis oramus DEUM, ut veritatis cognitione eos illustrare clementer dignetur. Hactenus ergò displicet nobis STEINII propositum, quòd majorem pacis